



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. XI. De Vicario Papæ in urbo, ejúsque potestate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pituli Cest enim ad nutum Episcopi amovibilis Vicarius juxta gloss. *Clement. 2. V. per Elect. de rescript.* ita tamen, ut gesta ab illo etiam post revocationem valeant, si hæc revocatio Vicario nondum legitime intimata sit, vel si communis error populi eum adhuc pro Vicario habeat, juxta *l. Barbarius 3. de off. Prat.*

§. X.

De Vicario Capituli, sede Episcopali vacante.

Non tantum potest, sed debet etiam, de jure novissimo *Trident. sess. 24. c. 16. de refor.* Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vacante aut quasi vacante sede Episcopali, intra 8 dies post mortem Episcopi Vicarium constituere, vel constitutum ab Episcopo confirmare, ita ut in casu negligentis quoad hoc Capituli ad Metropolitanum illius constitutio devolvatur; vel in casu exemptæ Ecclesiæ ad seniores aut propinquiores Episcopum. Eadem autem est Vicarii talis capitula-

ris jurisdictionis, quæ est Vicarii Episcopalis, cum enim in tali casu omnis jurisdictionis Episcopi in Capitulum devolvatur, consequenter Capitularis Vicarius idem poterit, quod Episcopalis, ita tamen, ut speciali etiam commissione ad multa indigeat, sicut indiget Vicarius Episcopalis, & insuper etiam ea non possit, quæ de jure non potest Capitulum, cum illius potestas non possit esse major potestate Capituli, dependens tota tam quoad restrictionem, quam ampliationem à Capituli potestate, & expirans etiam, quando novus Episcopus fuit confirmatus, & Episcopatus possessionem accepit, nisi prius revocetur.

§. XI.

De Vicario Papa in urbe, ejusque potestate.

Videatur de hac materia in nostris partibus nihil scitu necessaria *c. penultimum h. r.*

